













1. Name (Alexander

ARRIANI
NICOMEDIENSIS
EXPEDITIONIS ALEXANDRI
LIBRI SEPTEM

RECENSITI
ET NOTIS ILLUSTRATI
A

FRIDERICO SCHMIEDER
PHILOS. DOCT. ET AA. LL. M. GYMN. LUTH. HALENSIS
COLLEGA.

LIPSIAE
SVMTV E. B. SCHWICKERTI
A. MDCCLXXXXVIII.

PRAEFATIO.

Ex quo Arrianum eo consilio tractavi, ut anabasin Alexandri ederem, duplicem hujus libri editionem desiderari vidi, alteram majorem, versione latina omnique apparatu critico et exegetico ornatam; alteram minorem, juvenum manibus tradendam. Quid in majori praestandum sit et in minori praestiterim, paucis exponam, praemissa brevi *historia literaria libri Arrianei de expeditione Alexandri Magni.*

§. 1. *De MStis hujus libri.*

Anabaseos Alexandri et Indicorum, quae olim pro octavo anabaseos libro habebantur, plures extant codices Manuscripti, quorum alii a viris doctis collati sunt, alii non collati. *Collatorum* plurimi ejusdem fere generis et pretii sunt, e quibus parum ad Arrianum restituendum redundare poterat; unus autem tanti pretii est, ut merito a Gronovio *Optimus* vocaretur. Servatur Florentiae, alligatus Origenis Philosophumenis, et a Iacobo Gronovio diligenter collatus est. Reliqui secundi generis sunt, e quorum duobus descriptae sunt editiones primae, Veneta et Basileensis; tertio, Constantinopolitano, quem a Stephano acceperat, usus est Vulcanius, cujus variam lectionem ex comparatione Vulcanianae editionis cum Basileensi videre licet; quarto, quem Augustanum vocat, usus est idem, cujus varias lectiones in ora exemplaris sui notavit et Gronovius publicavit. Servatur in Bibl. Augustana Vindel. Duobus aliis, Richeliano et Gandensi, usus est Blancardus, quorum lectiones textui subjecit. Iacobus Gronovius denique contulit Florentiae in Bibliotheca Medicea S. Laurentii tres Codices et quartum in Abbatia S. Petri Perusiae, omnes minoris notae, et optimo illi longe postponendos. Extant autem plures ad-

*

huc codices *non collati.* In Bibl. Medicea septem servantur, quorum quatuor contulit Gronovius, tres restant, sed a quibus nihil sperandum est. (Vide Fabr. ex ed. Harl. Tom. V. pag. 93.) Unus extat in Bibl. Veneta D. Marci; unus vel duo Neapoli; duo Lugduni Bat.; unus et plures mutili Oxonii; unus in Bibl. Escorialensi. Tres describuntur in Caesareae Bibliothecae Nesselii parte quinta num. IV. num. LXXXIX. et num. CXIV. Quos Gronovius putat mediceo optimo simillimos. De iisdem vide Kollarium in Supplem. I. ad Lambecii commentarium. Palatina Arriani exemplaria descripsit Salmasius in Solinianis pag. 694., quae, sicut et aliud exemplar penes Glareanum, Gronovio secundi ordinis codicibus adnumeranda videntur. Denique de St. Croix in libro: Examen des Historiens d'Alexandre le-Grand à Paris 1775, duos MStos codices Arriani in Bibl. reg. Paris. commemorat, utrosque non magni pretii, alterum n. 583. in 4to. (pag. 267.) alterum no. 1683 allatum ex oriente ab Abbate Sevin, cujus ope nullus editorum usus est; in quo autem de St. Croix saepissime eas lectiones invenit, quas editores Arriani rejecere. (Examen pag. 295.) Sed extant ibidem non duo solum, sed novem. Vide Fabricium. Ex omnibus, quos novimus MStis, parum fructus ad Arrianum emendandum, esse sperandum, lacuna (lib. VII, c. 12.) docet, in omnibus conspicua, unde omnes superstites uni, eique jam mutilo, originem debere patet. Solummodo Vindobonenses conferre, operae pretium foret, idque praecipue, ut, quantum Codex Optimus iis confirmetur, videamus.

§. 2. *De editionibus.*

Tot de hoc Arriani libro codicibus superstitibus, auctoreque ipso tam praeclaro et excellente, sive ad orationem, sive ad argumentum historiae rationemque id tractandi respicias, sane mirandum est, eum scriptorem inter tot alios, longe ipso inferiores neglectiorem jacuisse. Aliorum quorundam, minimi adeo pretii, tot sunt exemplaria diversa, maxime ob scholarum usum, ut nonnisi cum labore numerentur, hujus, qui in scholis legatur, praeter reliqua

et ob castitatem dignissimi, si septem numeraveris editiones, omnes habebis.

Prima est: Ἀῤῥιανοῦ περὶ Ἀλεξάνδρου ἀναβάσεως. *Arriani de ascensu Alexandri.* 1535. 8. *Venetiis*, in aedibus Bartholomaei Zanetti Casterganensis et diligentia Ioan. Francisci Trincavelli. Praefatus est Ioan. Baptista Egnatius.

Secunda: Ἀῤῥιανοῦ περὶ Ἀλεξάνδρου ἀναβάσεως ἱστοριῶν βιβλία ὀκτώ. *Arriani de expeditione sive rebus gestis Alexandri Macedonum regis libri octo, nuper et reperti et quam diligentissime in lucem editi. Historiam quoque eandem, olim quidem a Bartholomaeo Facio latinitate donatam, nunc vero innumeris, quibus scatebat, mendis repurgatam, hic adjungi curavimus, ut et conferri a graecae linguae studiosis possit, et quid in utraque a nobis praestitum sit, facilius appareat. Basileae.* Editionem curavit Nicolaus Gerbelius, Argentinensis 1539. 8. impensis Roberti Winter, Basileensis Bibliopolae, typis Ioannis Oporini. Haec basis est reliquarum editionum. Utramque editionem, Venetam et Basileensem, diligenter contuli. Veneta ex codice descripta est, sed cum ingenti errorum numero. Basileensis descripta vel est ex Veneta, sed adhibito MSto vel uno, vel pluribus, e quibus textus emendatior redditus est; vel, quod verosimilius, ex MSSto secundi quidem generis, sed meliore tamen, quam is erat, quem Veneti sequebantur. In Basil. plures vel typorum vel librarii errores emendati sunt, qui erant in Veneta; interdum vero etiam novi accessere. Reliquis vero locis ferme omnibus consentiunt. At Basileenses tamen ex MSto edidisse Arrianum ex eo probabile fit, quod primi librum sextum et septimum distinxerunt. Hi enim libri in Veneta contrahuntur, et libri septimi inscriptionem habet Historia Indica. Idem probare videtur locus hic: V, 4, 4., ubi Veneta habet ὅπου καὶ αὐτὸς ὁ ἰνδὸς, τοῦ λάγου; Basileensis autem: ὅπου καὶ ὁ ἰνδὸς τοῦ * γάγγου, aliique loci pauci. Ceterum in utraque hac editione longe pauciora contracta sunt, quam in Vulcaniana et editt. sequentibus, non solum si adversativa δὲ occurreret, sed in aliis etiam vocabulis. Nec tam saepe invenitur ξὺν pro σὺν, quod in Vul-

caniana frequentissimum. Codices vero, ex quibus utraque descripta est, sequioribus accensendi sunt.

Tertia: Ἀῤῥιανοῦ etc. *Arriani* (*qui alter Xenophon vocatus fuit*) *de expedit. Alex. Magni historiarum libri VIII, ex Bonavent. Vulcanii Brug. nova interpretatione. Ab eodem quam plurimi loci ope veteris exemplaris restituti. Anno 1575. fol. excudebat Henr. Stephanus*, qui addidit 1) Plutarchi vitam Alexandri. 2) ejusdem de fortuna Alexandri libros II. 3) Livii judicium de Alexandro, si Asia perdomita arma in Europam vertisset; 4) Justini comparationem Philippi et Alexandri; 5) Curtii de Alexandri vita, moribus et morte judicium. Post praefationem, quae Alexandrum laudat et Facii castigat interpretationem, sequitur index locorum aliquot insignium, e veteri codice restitutorum, et eorum, qui ob chartas in codice deficientes Vulcanio ex ingenio videbantur emendandi. Leviora errata, ex Vet. Codice emendata, non pauca sunt et conferenti hanc editionem cum Basileensi sese offerent. Non raro variantes et conjecturae, Curtii latina, quae Graecis respondent, Facii diversa interpretatio aliaeque notulae in margine adscriptae sunt. Primus Vulcanius textum recensuit. Post Vulcanium exegesis et critica conjunctae sunt.

Quarta: Ἀῤῥιανοῦ περὶ ἀναβάσεως Ἀλεξάνδρου ἱστοριῶν βιβλία ζ. τοῦ αὐτοῦ ἰνδικά. *Arriani de expedit. Alex. Magni historiarum libri VII, ejusdem Indica ex Bonavent. Vulcanii Brug. interpretatione. Nicolaus Blancardus e veteribus libris recensuit, versionem latinam emendavit, octo libros animadversionum adjecit.* Amstelodami apud Ioa. Janssonium à Waesberge et viduam Elizaei Weyerstraet. 1668. cum effigie Blancardi, Medici et illustrium Zelandiae ordinum Historici. Accesserunt Photii Patriarchae Constantinopolitani ex Arriani scriptis eclogae, Andrea Schotto interprete, indices tres: 1) auctorum, qui ab Arriano citantur, 2) auctorum, qui in castigationibus laudantur, emendantur, illustrantur, 3) in Arriani libros. Plura Blancardus bene vel ex ingenio restituit, vel conjecit, et ex codicibus, Richeliano et Gandensi, ea dedit, quae potuit. Ani-

madversiones continent horum codicum varias lectiones, easque ex Vulcanii editione, interpretationes et explicationes multorum locorum difficiliorum, et comparationem reliquorum de Alexandro scriptorum, diligentem quidem, sed multa tamen relinquentem. Quod vituperabis est, partim, quod nimis multa aliena in notis tractantur, partim, quod multa debet Freinshemio, Salmasio aliisque, non semper additis celebribus istis nominibus.

Quinta: Ἀῤῥιανοῦ Νικομηδέως ἀναβάσεως Ἀλεξάνδρου βιβλία ἑπτὰ καὶ ἰνδική. *Arriani Nicomediensis Expeditionis Alexandri libri septem et historia indica ex Bonavent. Vulcanii interpretatione latina post variam aliorum industriam ita lacunis vel cognitis vel ignotis etiamnum et obscuris suppletis, ita auctoris in graecae linguae nativo usu et praestantia et facultate restituta ex plurium MSStorum et praesertim unius optimi collatione, ut nunc demum prodire hic auctor videri debeat opera Iacobi Gronovii.* Lugdini Batavorum, excudit Petrus Van der AA, Bibliop. 1704. Post dedicationem et praefationem sequuntur multae in Arrianum notae et exercitatio de fossa ex Euphrate. Accessit index rerum in Arriano memorabilium. In notis conditas reperis varias lectiones codicis Augustani, Peirsini, et quatuor Florentinorum, in quibus Optimus est, gravioresque priorum editionum. Nemo non totum Optimum typis traditum desiderabit; sed aliter illi placuit. Alia enim vel ex omnibus codicibus, vel ex Optimo solo, vel ex conjectura sua et aliorum recepit; alia et plura ex iisdem codicibus et Optimo, easque verissima, non recepit, id quod multis exemplis palam feci. Igitur non tam gratiam meretur pro restituta vera auctoris manu, quam pro diligentia, qua variantes MStorum lectiones colligeret et servaret. Recensio textus minor est, quam pro tantis subsidiis. Notis criticis saepenumero interpretationes locorum difficilium immiscuit, easque maximam partem optimas; si modo voluerit omnium; nam plurima non tetigit. Contulit quoque saepenumero Facii et Vulcanii versiones. At, fateor, fatigat, praecipue ad libros priores, lectorum patientiam innumeris conviciis, quibus reliquos interpretes et editores confodit, praecipue Blan-

cardum, atque in ea re ita sibi placet, ut in summam incidat loquacitatem.

Proxime editi sunt: *Arriani Nicomediensis expeditionis Alexandri libri septem et historia indica graece et latine cum adnotationibus et indice graeco locupletissimo Georgii Raphelii. Accedunt eclogae Photii ad Arrianum pertinentes cum lectionibus variantibus Dav. Hoeschelii, summaria librorum distincta et emendata, index rerum accuratissimus nec non tabula geographica expeditionis Alexandri.* Amstelaedami apud Wetstenium. 1757. Textus est Gronovianus, quem tribus modo locis paulisper mutavit. Libro V, 14, 11. pro ὅσοι κατὰ ex Optimo codice recepit ὅσοι δὲ κατὰ; VII, 12, 11. ἥκιστα δὴ τῇ et VII, 20, 6. μικροτέρα δὲ, ex eodem pro ἥκιστα τῇ et μικροτέρα, quamvis in notis nihil moneret. In notis interdum bene examinantur emendationes a Gronovio vel factae vel commendatae; saepe vero adscriptae sunt Optimi et aliorum codicum variantes, quas Gronovius non receperat. Plures autem, eaeque potiores multis descriptis, neglectae sunt. Retinuit Gronovii divisionem in capita, ea vero in minores sectiones divisit. Reliquae notae juvenibus explicant vel sermonem graecum vel sententias auctoris, vel ea, quae ex historia et tactica obiter tanguntur. Maximam explicationum partem Gronovio debet Raphelius, paucissimas Blancardo. Errat enim St. Croix pag. 267, si Raphelium Blancardo sua debere putat. Ceterum Curtium contulit, cujus loca versioni latinae subscripsit. Summus ejus et utilissimus labor fuit in construendo indice graeco, quem primus adjecit vere copiosissimum, ut perfectiorem ad alios auctores vix viderim.

Septima: Flavii Arriani Nicomediensis Opera graece, ad optimas editiones collata, studio Augusti Christiani Borheck, in regia Duisburgensi Academia Hist. et Eloq. P.P.O. Vol. I. Lemgoviae in officina libraria Meyeriana. 1792. Mansit divisio in capita ex Gronovio, non receptae sunt minores sectiones Raphelii; capitibus praescripta sunt argumenta ex Rapheliana, vel potius Gronoviana, ubi in margine superiori cujusvis paginae inveniuntur. In mar-

gine inferiori adscripti sunt loci paralleli Curtii (ex Rapheliana) Diodori Siculi et Iustini, atque hi nunc primum additi. Textus emendatior est, non quidem iis paucis, quae interdum ex prioribus editionibus recepta sunt, sed ex Rapheliana. Quas enim lectiones Raphelius ex Gronoviana descripserat, eas maximam partem receptas invenies; quamvis et harum non paucae et certissimae (ex. c. II, 11, 11.) neglectae sint. Reliquarum a Raphelio in notis non descriptarum nulla fuit cura. Ceterum editio operarum et correctoris negligentia vitiis scatet. Totos versus omiserunt, ex. c. pag. 35.143. 102. 217. 286. 345. Vides vero, et post hanc editionem ne textum quidem Arriani ita restitutum esse, quam per ea, quae habemus subsidia, fieri potuerat.

§. 3. *De versionibus.*

Latinus factus est hic Arriani liber multo ante primam graeci textûs editionem per *Petr. Paulum Vergerium* intra 1410 — 1437 in usum Sigismundi imperatoris. Facius eam versionem non bonam minimeque Alexandri nomine dignam censet, nec eam typis unquam traditam reperio. Extat tamen in Cod. Vaticano et laudatur a *Zeno* in *Voss. dissert.* I. p. 53 seqq. Quae vero quum circiter eodem tempore (intra 1416 — 1457) ex Germania in Hispaniam missa esset, et displiceret, Alphonsus V. Arragoniae rex, *Barthalomaeum Facium*, Genuensem, Arrianum latinum reddere voluit. Tertio post inceptum opus anno decessit Facius, quarta circiter parte versionis absoluta, reliquis tribus nondum satis elimatis; quare Iacobus Curulus, Genuensis, Facio familiaris, librum restituit et emendatum exscripsit. Theodori Thessalonicensis et Nicolai Sagondini ope usus erat Facius, unde opinio, interpretationem Arriani a Nicolao Sagondino factitatam esse, nata videtur. Diu adhuc traductio Faciana manuscripta mansit, donec eam *Sigismundus Golphus Pergolanus* typis tradidit, quod video ex Gabuardi Turcellani epistola versioni praemissa, quae scripta est *Pisauri* 1508 *Eid. Iunii.* Deinde repetita est, innumeris mendis repurgata, *Basileae*

Silentio hoc loco praeterire nequeo *duo specimina* mea *notarum criticarum in Arriani Nicomediensis de Alex. M. exped. libros IV. priores:* Halis Magdeb. 1795.

Praeter haec, speciatim ad Arrianum pertinentia, editorem consulere et conferre debere *Curtium* cum commentario Freinshemii, *Diod. Siculi* libr. XVII., cum notis Wesselingii, *Plutarchi* vitam Alexandri et oratt. de fortuna ejusdem, *Iustinum* et *Orosium*, *Plinium*, *Polybium*, *Aeliani* varias historias, *Polyaenum* et *Frontinum*, *scriptores tacticos*, reliquos *Arriani libros*, omnes ex optimis editionibus, *Strabonem* et *Athenaeum* Casaubonianum, *Salmasii Soliniana* et alios multos cujusvis aevi libros, e quibus aliquid frugis ad Arrianum conferri potest, per se liquet.

§. 5. *De hac editione mea.*

Arriani historia Alexandri praecipue a juvenibus graecae linguae studiosis legi meretur, et quia ea historia ipsa memoratu dignissima atque juvenibus jucundissima est, et ob facilem elegantemque Arriani sermonem castitatemque summam, et quia Arrianus solus veram Alexandri historiam reliquit. Quae omnia virorum doctorum judicio confirmantur. Igitur consilium meum duplex fuit, partim ut librum optimum juvenibus in manus traderem, partim vero etiam, ut tandem aliquando textum libri hujus pro subsidiis nostris incorruptissimum edendum curarem. Textum dedi ex codice optimo, rejectis, quae vitiosa videbantur, reliquorumque codicum variantibus iisque primarum editionum, quas per omnes libros studiose contuli, in subsidio collocatis. Sed et sic restant multi loci corrupti, ubi nec MSti, nec libri editi juvant, quorum alios ex meis aliorumque conjecturis emendare ausus sum; alios, ubi ad certiora pervenire nequibam, notavi. Adjeci enim post textum verbis brevissimis recensum eorum locorum, quos ego emendavi, cum rationibus. De iis vero locis, quos jam alii ex Optimo vel aliunde emendavere, ad reliquos Arriani editores lectorem relego. Ea sola tetigi, quae ipse emendavi, nisi aliorum emendationes vitiosae videbantur. Adsunt fortasse plura, adhuc ex

primis duabus editt. emendanda. Sed quia Gronovius MStos contulisse videtur cum Vulcaniana, cogitare debui, eas lectiones Vulcanianae, quae differunt a lectionibus Basil. et Venetae, et contra quas nihil monuit Gronovius, a MStis Gronovii confirmatas esse. Divisionem in capita et sectiones minores retinendam putavi. Textui subjeci notulas, ut loca obscuriora illustrarem, et capitum argumenta. Si notas aliorum excerperem, vitiosa, in quorum refutatione longus esse nolui, omisi. Adjeci indicem graecum copiosissimum et juvenum usui accommodatum, et indicem novum locupletissimum nominum propriorum. In Indice vocabulis graecis adscripsi significationem latinam, et quidem, si significatio esset solennis, locis non adjectis; adjectis vero, si minus solennis videretur. Ea vero vocabula, quae in Hederici lexico graeco vel plane deficiebant, vel saltem, quorum significationem aliquam principem ibi non esse videbam, stellulis obsignavi. In indice Raphelii latina rarius adjecta sunt; at si res ullius modo esset momenti, locus, ubi vocabulum occurrit, adscriptus est. Hunc igitur adeat vir doctus, quem in meo indice, pluribus tamen vocabulis auctiore, aliquid offendit. — Locos parallelos in editione mea non adjeci, ne nimis opus cresceret; pertinent in editionem majorem; et multa jam inveniuntur in Borheckii versione germanica. Denique si vitam Arriani praemitterem ac tabulam chronologicam rerum memorabiliorum, atque de fontibus Arriani, quae sufficiunt, lectoribus satisfacere videbar. Mappam vero geographicam ad hos Arriani libros commendo, quam curavit *de la Rochette*, Londini 1793. Inscripta est: „Indiae veteris, quatenus Macedonibus nota fuit, finitimarumque regionum specimen geographicum, situm ac nomina locorum recentioris aevi sub oculos subjiciens, nec non Alexandri itinera intra Euphratem et Hyphasin et navigationem Nearchi ab Indo flumine ostium usque Pasitigris.“

§. 6. *Quid praestandum sit in editione majori.*

Ante textum, loco argumenti totius libri repetenda sunt excerpta Photii ex Anabasi, cum Schotti interpretatione

Vita Arriani.

Pauca modo de Arriani vita constant. Plura constarent, nisi Bithynica, in quibus de se et patria sua ipse scripserat, perdita essent. Fontes sunt Arrianus ipse paucis locis, Photii eclogae, et Suidas. Ex recentioribus praeter Fabricium (edit. Harles. Tom. V. pag. 89.) vitam ejus scripserunt *Dodwell.* de aetate Peripli Maris Euxini et *de St. Croix* in libro supra laudato pag. 22 seqq. E quibus omnibus, quae sequuntur, collegi.

Flavius Arrianus, natione Bithynus, Nicomediae natus, educatus et literis imbutus est, atque postquam inclaruerat, in eadem urbe Cereris et Proserpinae, quibus Nicomedia sacra fuit, sacerdotium gessit. Iam a juventute literis summopere se dedidit, et praecipue sectatus est Epictetum Stoicum. Floruit sub Hadriano et Antonino Pio, imperatoribus. Inclarescere coepit libris philosophicis scribendis, quorum primi sunt *dissertationum Epicteti libri octo* (διατριβῶν Ἐπικτήτου); ex quibus deinde ipse collegit *enchiridion;* deinde scripsit *sermonum Epicteti* (ὁμιλιῶν) *libros duodecim* et librum *de Epicteti vita.* Post ea scripta fama Arriani celeberrima fuit, iisque ipsis summos sibi honores comparavit. Civitatem Atheniensem cum nomine Xenophontis accepit, nec alio nomine appellari maluit, quod ex multis scriptorum suorum locis comparet. Se ipsum nominat saepenumero Xenophontem, et seniorem Xenophontem, quo a se alius fuisse nosceretur, non nisi additis voculis τοῦ Γρύλλου, vel τὸν πάλαι vel τὸν πρεσβύτερον. Unde non mirum, si in multis, interdum adeo minutis rebus illum Xenophontem imitaretur. Inde tot argumenta librorum Xenophontis novi, argumentis senioris similia. Anno post Christum 124 Hadriano, qui tunc in Graecia versabatur et Epictetum in summa familiaritate habuerat, innotuit, a quo civitate romana et laticlavio donatus esse videtur, quo jus haberet capessendorum honorum senatoriorum. Tunc accepit nomen romanum Flavii. Eo etiam tempore scripsisse videtur *vitam Tillibori latronis,* et *Parthica libris XVII.* in quibus res a

Trajano in Parthos gestas absolvit, in gratiam Hadriani, ab Trajano adoptati. Anno post Christum 136 Arriano ab Hadriano tradita est praefectura Cappadociae. Quum jus gladii acciperet, scripsit *commentarium de re militari* sive *tacticam;* initio gestae provinciae *Periplum Ponti Euxini.* Anno proximo invasere Alani Cappadociam, quibus ab Arriano victis paulo post provinciam *Alanica* scripsit, cujus libri fragmentum extat. Consulatu romano demum post provinciam ornatus fuisse videtur. Tandem, circiter 150 p. Chr. n. verosimile est, Arrianum totum se literis et otio addixisse; quo tempore scripsit hanc *Alexandri anabasin;* deinde *Indica;* mox forte *de rebus post Alexandrum gestis libris decem*, inde *Timoleontis Corinthii in Sicilia res gestas* et *Dionis Syracusani*, denique *Bithynica libris octo* et libellum *de venatione.* Annus Arriani natalis, annus mortis, et omnino certiora de ejus vita non inveniuntur. Sunt qui Arrianum Marci Antonini tempora attigisse scribant, quod tamen maxime incertum est. Alii eum etiam adnumerant jureconsultis, eique in Pandectis Iustiniani tribuunt leges: *qui libertatem* (de liberali causa) et: *omne delictum* (de re militari) in qua advocatur imperator Hadrianus. Citatur etiam a Paulo Patavino et Ulpiano Tyrio. Tempus congruit, sed extra dubium res collocari nequit. Vixit enim iisdem temporibus in Italia Arrianus Maturius quidam, Altinates, Plinii junioris amicus. Omnium tamen Arriani Nicomediensis scriptorum tituli ad nos non videntur pervenisse; vide Photium cod. 58. Ex scriptis ejus restant: quatuor libri dissertationum; enchiridion; Tactica; Periplus Ponti Euxini; fragmentum ex Alanicis; Alexandri anabasis; Indica; et liber de venatione. Reliqua periere, praeter quod argumenta *librorum de rebus post Alexandrum gestis*, *Parthicorum* et *Bithynicorum* a Photio servata sunt.

Tabula chronologica.

Sequitur Arrianus morem Atticorum, annos nominibus Archontum suorum indicantium. Athenienses vero

post Metonem, anno circiter 432 ante Christum n. una cum plurimis Graecorum anni initium in novilunio post solstitium aestivum fixere. Vulgo mense Iunio annus atticus incepisse creditur eoque mense alius archon priori successisse. Quam rationem etiam nostrum sequutum esse ex libro II, 24, 12. III, 7, 1 etc. perspicuum est. Disquisitionibus igitur chronologicis aliis peritioribus relictis, in hac tabula annum Graecorum a Iunio ad Iunium accipere, eumque aequalem anno Iuliano ponere non dubitavi. Ob negligentiam scriptorum jam satis est, si annum habemus et mensem probabilem. In tabula ipsa invenies omnes res notatu digniores, adscriptas suis annis, mensibus, adeoque diebus, saltem anni temporibus, prout ubique per auctores ipsos licuit, quorum loca adscripsi. Quia vero anni Atticorum et Olympiadum cum annis ante Christum non congruunt, annum quemque sic, ut vides, dividere malui.

Natus est Alexander Ol. 106, 1. ante Chr. n. anno 356, die VIto Iunii. (Plut. Vita Alex. cap. 11.)

ante Chri. nat.			
336	Ianuar. — Maj.		
	Iunius — Dec.	Olym. 111, 1. Archon Pythodemus (Arr. I, 1, 1.) vel Pythodorus. (Diod. Sic. XVI, 91.)	Succedit Alexander Philippo non multo post mensem Iunium; Paulo post ingreditur Graeciam, et summus Graecorum contra Persas dux creatur;
335	Ian. — Maj.		Vere ineunte movet in Thraces; (Arr. I, 1, 5.) quibus victis vidit et vicit Triballos, Istrum transit in Getas; e quibus redux in Illyriam pergit;
	Iun. — Dec.	Olym. 111, 2. Archon Euaenetus.	Illyriisque ac Taulantiis oppressis iterum Graeciam ingreditur, atque Thebis dirutis (mense Augusto Arr. I, 10, 4.) reliquisque Graecis territis in Macedoniam redit.

334	Ian. — Maj.		Ineunte vere (Arr. I, 11, 4.) castra movet e Macedonia ad Hellespontum, viginti diebus, (Arr. I, 11, 7.) quo trajecto,
	Iun. — Dec.	Ol. 111, 3. Arch. Ctesicles.	mense Iunio pugnatum est ad Granicum (Plut. Vit. Alex. c. 16.) Phrygia ad Hellespontum, Lydia, Caria, Ionia subacta, Halicarnasso et Mileto urbibus expugnatis, media hieme versatur in Lycia.
333	Ian. — Maj.		(Arr. I, 24, 1. 8.) Conjuratio Alexandri Aeropi filii. Post Lyciam Pamphylia, Pisidia et Phrygia major invaduntur. Salagassenses praelio victi. Vere est Alexander Gordii (Arr. I, 29, 6. II, 4, 1.) et accidit Memnonis expeditio navalis. Paphlagonia deinde et Cappadociae parte subacta Ciliciam intrat. Morbus Alexandri.
	Iun. — Dec.	Ol. 111, 4. Arch. Nicocrates apud Diodorum; apud Arrianum (II, 11, 14.) Nicostratus.	Cilicia percurritur aestate. (Curt. III, 5, 1.) Septembri (Arr. II, 11, 24.) vel sub hiemem (Curt. III, 8, 8.) pugna apud Issum, Darii fuga. Paulo post Syria et Phoenicia in potestatem rediguntur. (Ex opinione Diodori XVII, 40. transisset Alexander demum principio anni 332. ex Cilicia in Syriam. Secundum Arrianum id factum videtur Anno 331. exeunte, quod necesse est, si Curtio teste (IV, 4, 19.) Tyrus per VII. menses oppugnata est.)
332	Ian. — Maj.		
	Iun. — Dec.	Ol. 112, 1. Arch. Anicetus (Arr. II, 24, 12.) Niceratus	Iunio, sub finem, Tyrus expugnata; (Arr. II, 24, 12.) Gaza capta circiter Septembri; (Diod. XVII, 48.) Expeditio in Aegyptum.

331	Ian. — Maj.	(Dio. XVII, 40). Nicetus (Dion. Halic. in Dinarch. T.II.p.116) Vid. Meurs. de archont. IV, 13.	Hieme condi coepit Alexandria; (Arr. III, 1.) sequitur iter ad Hammonem. Vere redit Alexander ex Aegypto in Phoeniciam. (Arr. III, 6, 1.)
	Iun. — Dec.	Ol. 112, 2. Aristophanes.	Iunio pervenit ad Euphratem; (Arr. III, 7, 1.) Quem quum, sicut paulo post Tigrim, transisset, accidit XVto Augusti (Plut. Vit. Alex. c. 31.) vel mense Octobri (Arr. III, 15, 17.) lunae defectus, et undecim diebus post proelium apud Gaugamela. Darii fuga in Mediam. Alexander potitur Babylonia et Susiana, vincit Uxios et Ariobarzanem ad pylas Persicas;
330	Ian. — Maj.		hieme versatur in Perside (Curt. V, 6, 12. Plut. Vit. Alex. c. 37.) Post hiemem per Paraetacas transit in Mediam, et persequitur Darium, qui denique a suis in vincula conjectus
	Iun. — Dec.	Ol. 112, 3. Aristophon.	mense Iunio occiditur. (Arr. III. 22, 3.) Deinde et bello et conditionibus in potestatem recipiuntur Hyrcanii, Tapuri, Mardi, Arii;
329	Ian. — Maj.		hieme sequente Drangae, Gedrosii, Arachosii hisque finitimi Indi. (Arr. III, 28, 2. 14.) deinde Parapamisadae, ubi urbs Alexandria conditur, (Arr. III, 28, 6.) interea succedit Dario Bessus, occiduntur Philotas et Parmenion. Per Bactrianos subactos
	Iun. — Dec.		transit Alexander in Sogdianam.

Bessumque persequitur, qui ca-
ptus non multo post occiditur.
Alexandria ad Tanaim (Iaxarten)
condita. Cyropolis, aliaeque ur-
Ol. 112, 4. bes rebellantes dirutae. Rebellio
Cephiso- Sogdianorum et Bactrianorum,
phon. quam Scythae fovent, qui media
circiter aestate, Iaxarte ab Ale-
xandro trajecto, vincuntur. (Arr.
IV, 4, 16.) Spitamenis varii cona-
tus et clades Macedonum sub
Pharnuche.

Ian. — Hieme et vere sequente Sogdi-
Maj. ani et Bactriani iterum pacati,
Spitamene caeso; (Arr. IV, 7, 1.
18, 2.) Interea Cliti caedes, et
paulo post puerorum conjuratio.
328 Vere expugnatur petra Oxyartae
(ubi Roxanes matrimonium) alia-
que Chorienae. Bactrianis deni-
que devictis transit per Parapami-
sum in Indiam (Arr. IV, 22, 4.)
vere exeunte.

Iun. — Nysaeis, Assacenis aliisque gen-
Dec. tibus et urbibus cis Indum devi-
Ol. 113, 1. ctis, petraque Aorno expugnata
Euthycri- transit sub finem anni trans In-
tus. dum. (Diod. XVII, 86. 87.)

Ian. — Taxile in fidem recepto, per-
327 Maj. git ad Hydaspen, ubi
Iun. — circa solstitium aestivum, Poro
Dec. transitum prohibente, castra ponit.
(Arr. V, 9, 6.) Sequitur circiter
mense Iulio pugna cum Poro et
transitus Hydaspis. Bucephala
et Nicaea urbes conditae. Traji-
ciuntur Acesines et Hydraotes.
Multae gentes et urbes imperio

Ol. 113, 2. Chremes. Hegemonem nominat Arrianus V, 19, 5., ubi vide notam.

additae. Vincuntur Cathaei, expugnantur Sangala. Hyphasin transire recusat exercitus; aris igitur exstructis redit Alexander ad Hydaspen, ubi sub finem circiter aestatis (XXIIImo Octobr. ut vult Vincent. p. 100.) parte exercitus navibus imposita, reliquis juxta ripas proficiscentibus, navigatio Alexandri per flumina et Indum usque ad Oceanum coepit. Facta est hieme (Arr. VI, 19, 4.) si Plutarchum sequimur, (Vita Alex. c. 66.) septem, si Strabonem (lib. XV. p. 476.) decem mensibus. *Vincent* Alexandro, dum navigaret et circa Pattala versaretur, novem modo menses consumtos asserit p. 158.) Urbes et gentes ripis propinquae per viam subactae. Memoratu digniores Malli (ubi temeritas et vulnus Alexandri) et Musicani. Hieme adhuc pervenit ad ostia Indi. (Curt. IX, 10, 2.)

326 Ian. — Maj. / Iun. — Dec.

Post ver (Curt. IX, 10, 3. Arr. VI, 22, 12.) circiter sub initium Septembris Alexander ipse terra ab Indo movet in Arabitas, Oritas, deinde Gedrosiam, ubi aestate adhuc est; (Arr. VI, 25, 9.) ex Gedrosia post iter difficillimum pervenit in Carmaniam. Nearchus autem sub initium hiemis (IIo Oct. Vinc. p. 35.) classe ex Indo proficiscitur, litora legens, (Arr. VI, 21, 4.) et hieme nondum praeterlapsa, assequitur Alexandrum in

Ol. 113, 3. Anticles, secundum Diodorum. Arr. in Ind. c. 21. habet Cephisodorum. ubi vide notam.

Ian. — Maj.

325	Iun. — Dec.	Ol. 113, 4. Sosicles.	Carmania. Alexandri severitas in malignos satrapas. Sub finem hiemis proficiscuntur classis et exercitus terrestris in Persidem; (Arr. VI, 28, 12.) Alexandri et ducum nuptiae. Epigoni. Pervenitur ad urbem Opin, ubi seditio Macedonum. Quibus placatis et X millibus domum remissis in Mediam pergit. Certamina Ecbatanis. Hephaestionis morbus et mors.
324	Ian. — Maj.		Hieme Cossaei victi, (Arr. VII, 15, 3.) iter in Babyloniam. Legationes undique missae. Chaldaeorum monitum, ne Babylonem intret Alexander. Invia ratio fati evitandi. Introitus in Babylonem, ut videtur, sub hiemem. (Diod. XVII, 112.)
	Iun. — Dec.	Ol. 114, 1. Agesias, vel Hegesias.	Per hiemem adparatus ad expeditionem in Arabiam, accolas maris Caspii aliasque regiones. Navigatio in Pallacopa, fossa Euphratis; omina multa. Morbus Alexandri ob intemperiem vini et mors. Decessit 32 annos natus, et 8 menses, post imperium duodecim annorum, et octo mensium; (Arr. VII, 28, 1.) Auctore Plutarcho (Vita Alex. c. 76.) obiit die 28mo Daesii (Aprilis). Cf. dissertatio de anno natali Alexandri in libro: Examen critique des anciens Historiens d'Alex. le-Grand. à Paris. 1775.
323	Ian. — Maj.		

De fontibus Arriani.

Scripsit Arrianus in praefatione, se praecipue Aristobulum, Aristobuli filium, et Ptolemaeum, Lagi filium, sequutum esse; Aristobulum, quod cum Alexandro socius in Expeditione versatus sit, Ptolemaeum vero, quia praeterquam, quod una militaret, turpius in eo, utpote rege, mendacium, quam in quocunque alio fuisset; utrumque, quod mortuo jam tum Alexandro scriberent, quum neque necessitas, neque merces, qua adducti aliter quidpiam atque accidisset scriberent, esset proposita. Seque ait ea tanquam verissima conscripsisse, quae uterque consentiens memoriae prodiderit; ex iis vero, in quibus dissentirent, ea, quae sibi fide digniora visa fuissent, selegisse. Denique addit, se etiam quasdam aliorum narrationes descripsisse, si narratu dignae neque prorsus incredibiles, tanquam quae sermonibus modo divulgatae essent, visae sibi fuerint. Videamus, utrum haec ratio critica probari possit? quantam fidem mereatur? et utrum scriptor constanter ei rationi satisfecerit?

Dico vero, hanc rationem, paucis exceptis, probari posse. Quod ut monstrari possit, de singulis scriptoribus et scriptis breviter agendum est.

Incipiamus cum *Aristobulo*, Aristobuli filio. Noster de eo prodit, eum cum Alexandro militasse historiamque scripsisse, Alexandro defuncto. Deinde addit, eum Cyri in Perside sepulcrum, ab irreligiosis direptum, ab Alexandro restaurare jussum fuisse. (lib. VI, 29, 15.) Praeter haec nihil. Historiam vero rerum ab Alexandro gestarum, quam scripserat, saepissime allegat; loca collegi et appono. Arr. Lib. II, 3, 13. 4, 10. 12, 9. III, 3, 5. 11. 4, 9. 11, 3. 26, 1. 28, 8. 10. 30, 11. 13. IV, 6, 1. 8, 15. 13, 9. 14, 1. 5. V, 7, 1. 14, 3. 20, 3. VI, 11, 10. 22, 7. 28, 3. 4. 29, 5. 15. VII, 4, 6. 13, 6. 15, 8. 17, 7. 18, 1. 5. 10. 19, 5. 20, 9. 22, 7. 8. 24, 1. 26, 5. 28, 1. 29, 9. Alii veterum pauca addunt; in quibus Lucianus (in Ma-

erobiis cap. 22.) Aristobulum historiam scripsisse annos 84 natum, ὡς αὐτὸς ἐν ἀρχῇ τῆς πραγματείας λέγει. Idemque cum Athenaeo (2, 6. 6, 13.) Κασσανδρέα eum vocat. Praeter haec nihil de eo invenire potui; quorum vero graviora conjuncta non immerito ei praecipuam fidem habitam fuisse spondent. Plutarchus etiam saepius eum laudat, in Vita Alex. c. 15. 16. 18. 21. 46. 75. et Orationibus de fortuna Alexandri (edit. Francofurt.) pag. 341. C. 342. D. 327. D. E. Tom. II. Quod auctoritatem ejus augere posset, nisi Plutarchum sine judicio quaecunque fabulosa veris inmiscuisse videremus. Passim laudatur etiam ab aliis, Strabone ex. gr. et cet. non vero a Curtio, nec a Diodoro Sic. in quo praeter alia hoc praecipue, quod libro XVII, ubi de Alexandro agitur, ne ullum quidem auctorem prodit, praeter epistolam aliquam Alexandri ad matrem, (pag. 580. edit. Rhod.) vituperandum est, Luciani tamen mentio adhuc facienda est, qui eum (in libro, quomodo Hist. scribenda sit c. 12.) praelii adversus Porum descriptionem suam Alexandro praelegisse scribit, quam rex, ob fabularum immixtarum vim, in Hydaspem fluvium abjecerit. St. Croix (in libro Examen des Anc. Hist. d'Al. le-Grand pag. 19.) in Luciano pro nomine Aristobuli nomen Onesicriti legendum esse censet, quem vide rationes afferentem. Sed mutatione non opus est. Cur enim non credamus, eundem, Alexandro vivo, fortunae suae per adulationem subvenire voluisse, qui eo mortuo, veram ejus historiam, ipse senex, scriberet?

Ptolemaeus deinde, Lagi filius, Eordaeus, amicus intimus Alexandri pueri, propter dissidia Alexandri et patris e Macedonia exsulare jussus, Philippo occiso ad Alexandrum redux, eumque in expeditionibus comitatus, inter eos pertinet, qui optime de Alexandro scribere potuere. Erat amicus Alexandri viri, summis apud Macedonas honoribus affectus, magnis exercitibus, Alexandro jubente, praefectus, et magnas ipse res gessit, regi utilissimas, earumque causa prae multis fuit honoratus (cf. Index ducum, ubi res ejus gestae, quas Arrianus narravit, additis locis, indicatae

ea re silent et Aristobulus et Ptolemaeus, οἷσιν μᾶλλον ἐγὼ ξυμφέρομαι.

2) Plurima narrat Arrianus, auctore non prodito. Ibi secundum ea, quae in praefatione praemisit, credendum est utrumque consensisse, nec opus erat, hoc quavis pagina repetere. Excipiamus tamen locum I, 11, 4. ubi Alexandrum adversus Persas peditum non multo plures quam triginta millia, equitum supra quinque millia duxisse narrat. Si vero Plutarchus de fort. Alex. p. 327. recte excerpsit, Aristobulum videmus XXX M peditum, IV equitum scripsisse, Ptolemaeum totidem peditum et V millia equitum. Neutrum igitur accurate hoc loco descripsit, Ptolemaeo tamen proxime accessit. Interdum vero, et, ut quae alii negarent, vera esse, et, quae alii narrarent tanquam vera, et quae rumore sparsa essent, ut falsa esse doceret, utriusque vel affirmationem vel silentium de industria addit. Sic II, 12, 9 seqq. Leonnatum quidem, consentiunt, ad Darii matrem, uxorem, filiasque ab Alexandro, qui eas consolaretur, missum esse; silent vero hoc, Alexandrum ipsum cum Hephaestione ad eas accessisse, matrem Hephaestioni προσκυνήσασαν, errato cognito pudefactam recessisse, Alexandrumque dixisse: nullum esse erratum; nam et hunc esse Alexandrum. Narratio fictioni similis est; unde Arrianus eam relaturus sic incipit: λόγος δὲ ἔχει, eaque narrata addit: ταῦτα οὔτε ὡς ἀληθῆ, οὔτε ὡς πάντη ἄπιστα ἀνέγραψα. Eam vero fictam esse, discimus ex fragmento epistolae Alexandri ipsius, servato in Plut. vita Alex. c. 22.: ἐγὼ γάρ, inquit, οὐχ ὅτι ἑωρακὼς ἂν εὑρεθείην τὴν Δαρείου γυναῖκα, ἢ βεβουλευμένος ἰδεῖν, ἀλλ' οὔτε τῶν λεγόντων περὶ τῆς εὐμορφίας αὐτῆς προσδεδεγμένος τὸν λόγον. Sic consentiunt uterque, Philotae perfidiam jam in Aegypto ab Alexandro cognitam fuisse, lib. III, 26, 1. Miranda est igitur regis temperantia et patientia, ubi alii suspicionem et crudelitatem tyranni viderunt. Simile exemplum vide in Arriano I, 25. Uterque dixit, Callisthenem participem fuisse conjurationis puerorum adversus Alexandrum (IV, 14, 1.) quod alii

negarunt; meritas ergo poenas dedit. Ptolemaeus et Aristobulus produnt, maximam illam pugnam apud Gaugamela et ad flumen Bumelum commissam fuisse, (VI, 11, 10.) non apud Arbela, quomodo vulgo dicunt. Plures scripserunt, Alexandrum ad imitationem Bacchi ex India redeuntis, ex eadem reducem per Carmaniam cum omni exercitu instar bacchantium et comessabundorum rediisse. Quam narrationem, per se difficilem creditu, Aristobulus et Ptolemaeus, aliique omnes fide digniores, teste nostro VI, 28, 3. silentio praetereuntes fabulam esse arguunt. Eorundem nemo mentionem fecit Amazonum et Thalestris fabulosae earum reginae (VII, 13, 6. et Plut. vita Alex. 46.) Nemo, qui paulisper ingenium Romanorum novit, eos ad Alexandrum in Asiam legatos gratulandi causa missuros fuisse credet; quod quidam divulgaverant; sed nec Ptolem. nec Aristob. rem prodidere, et pro fabula habenda est. Nemini denique Alexandri prudentiam noscenti, quae morti proximus imprudenter dixisse fertur, et alia fabulosa de morte ejus, verosimilia esse possunt, (quae legere licet in fine hujus operis Arrianei,) sed uterque etiam, ut diserte scribit Arrianus (VII, 26, 5.) nihil de iis prodidit, sed talia, quae quemque sanum pro veris habere oporteat. Haec omnia etiam, merito scriptis utriusque, injuria temporum perditis, plurimam ab Arriano fidem habitam esse, documento sunt, et addenda ad ea, quae superius dixi.

3) Ubi vero dissentiunt, ibi vel Ptolemaeus praelatus est; sic ex. c. V, 14, 4-9. rejicitur Aristobuli narratio praelii cum Poro juniore; oppositum est scriptorum vulgus (οἱ δὲ λέγουσι) et Ptolemaeus cum additamento: ὅτῳ καὶ ξυμφέρομαι. Sic III, 26. 2. aperte praelata est Ptolemaei narratio de supplicio Philotae, de quo et Aristobulum scripsisse ex eodem loco perspicuum est. Sic merito Aristobulus posthabitus est de Besso capto alia narrans quam Ptolemaeus, quem ipsum Alexander ad Bessum capiendum miserat III, 30, 10. 11. Ptolemaeum de multitudine navium, quas Alexander habebat lib. VI, 2, 7. laudans, addit diserte: ᾧ μάλιστα ἐγὼ ἕπομαι. Unde, locis IV, 6, 1.

IV, 13, 9. IV, 8, 15. II, 3, 13. II, 4, 10., ubi post aliam de quadam re narrationem, aliam dissentientem Aristobuli addit, et quidem ita, ut hanc posthabendam esse innuat, quamvis hoc distincte non addat, priorem e Ptolemaeo sumtam esse patet; et si prior illa incipit οἱ δὲ λέγουσι, Ptolemaeum cum reliquis omnibus, vel maxima eorum parte consentire, credendum est. Huc pertinet etiam locus I, 8, 1. De expugnatione enim Thebarum et alia adest narratio, sed eam Ptolemaei protulit, quamvis non adderet, utrum et Aristob. alia scripsisset.

4) Vel utrumque descripsit, quem praeferri velit, non adjiciens. Sic uterque alia narravit de morte Callisthenis IV, 14, 6. et miratur auctor, ne hos quidem ipsos scriptores, quorum fides maxima sit, quique tum temporis Alexandro adfuissent, de rebus manifestis, quae eos, quo pacto gestae essent, minime laterent, inter se consentire. Sic ut dissentientes nominati sunt de via ad Ammonem. III, 3, 10. 11. alia portenta Ptolemaeus, alia Aristobulus narrabant. III, 4, 9. alia via alter, alia alter Alexandrum ab Ammone in Aegyptum redisse, scripsit. IV, 3, 11. alius alia de expugnatione urbium scythicarum; V, 20, 3. alius aliud nomen Glaucanicorum prodidit.

5) Uter eorum rem narrat, quam ipse gessit, ipse vidit, ipse audivit, hunc praefert. Laudatus est Ptolemaeus de persecutione Darii post pugnam in Cilicia, quum esset αὐτόπτης II, 11, 11. eamdem ob causam IV, 25, 6. Libro VI, 11, 14 seqq. invehitur Arr. in reliquos de Alexandro scriptores, qui Ptolemaeum in Mallis (ubi Alexander solus de moenibus in urbem desilierat) una cum Peucesta Alexandrum clypeo texisse, ideoque Σωτῆρα vocatum esse narrarunt, cum tamen Ptolemaeus ipse dicat, se non adfuisse, sed interea alii exercitui praefectum cum aliis barbarorum pugnasse. Laudatus est Aristobulus VI, 29, 5. 15. de sepulcro Cyri, quod ipse reficiendum curaverat; idem de portento aliquo, quod Alexandri mortem praeindicasse credebatur, VII, 18, 1. 5. 10. quia hoc ab ipso haruspice,

qui id viderat, audivisse narrabat. Observo et hoc, Aristobulo nostrum debere descriptionem regionum et memorabilium naturalium; quae quidem et Ptolemaeus vidit, sed fortasse non descripserat. Allegatur enim III, 28, 8. 10. Aristobuli descriptio Caucasi et Silphii; VI, 22, 7. deserti Gadrosii et arborum plantarumque ibi inventarum; III, 3, 5. ejus descriptio littoris africani, et sic III, 30, 13. et VII, 20, 9.

6) Reliquis denique locis, ubi sine altero nude vel Ptolemaeus vel Aristobulus ut auctor narrationis cujusdam nominatur, Arrianum narrationem alterius minus verosimilem silentio praeteriisse verosimile est.

Videmus vero ex his omnibus, Arrianum, dum uteretur his auctoribus, et ea probe fecisse, quae bene promiserat; et ea, quae superius in promissis ejus, quomodo his auctoribus uti vellet, probanda esse negaveram, in libro ipso scribendo correxisse, dum vel Ptolemaeo in pluribus, quod quidem merebatur, majorem fidem tribueret, vel utriusque narrationem simul adscriberet, ideoque lectores in judicio suo de eo, quid probabile sit? quid non? acquiescere non cogeret. Quod si etiam aliquibus locis fecerit, nunc tamen, rationibus, secundum quas vera et falsa distingueret, perspectis, securiores esse possumus. Et sane tribuendum est aliquid ei scriptori, qui jam in limine libri sui id judicii sui testimonium reliquit, ut gravissimis argumentis, qui sint praecipui fontes, ostendat, eosque se sequi velle polliceatur. Si vero erravit, errare humanum esse memineris. Vide I. A. Ernesti de fide historica recte aestimanda in opusc. philolog. pag. 64. Sed transeundum est ad reliquos scriptoris nostri fontes, e quibus quaedam narratu digna nec prorsus incredibilia se descripsisse scribit. Repetere nolo quae jam de ista ratione scribendi monui. Auctores vero isti sunt Eratosthenes Cyrenaeus, Nearchus, Megasthenes, Onesicritus, Aristos, Asclepiades, Alexandri M. epistolae et ephemerides regiae. De *Eratosthenis Cyrenaei* vita, scriptis, et de fide, quae ipsi ha-

benda ſit, vide Fabricii Bibl. Gr. ex edit. Harleſii locupletiſſima Tom. III. p. 41. et Tom. IV. pag. 117. et ſeqq. et ex libris ibi allegatis praecipue librum: Eratoſthenis Geographicorum Fragmenta edita a *Seidel*, Goettingae 1789. in Prolegomenis. Laudatur a noſtro de rebus geographicis, et cur eum aliis praetulerit, diſerte ſcribit in Hiſtoria Indica cap. 3, 1. *ἐμοὶ δὲ Ἐρατοσθένης ὁ Κυρηναῖος πιστότερος ἄλλου ἔστω, ὅτι τῆς περιόδου πέρι ἔμελεν Ἐρατοσθένει*, i. e. quia ex profeſſo Geographiae operam dabat. (Addit deinde, quae Eratoſthenes de magnitudine Indiae dixerat. Pertinet iſte locus ad ejus librum Μετρήσεις inſcriptum.) Ratio iſta probanda eſt, eam ſequitur Arrianus libro V, 5, 1. ſcribens: ſe in deſcribenda India (praeter Alexandri commilitones) Megaſthenem et Eratoſthenem, *δοκίμω ἄνδρε*, ſequi velle. Eosdem auctores allegat, quum ſcribit, in quas partes Aſia per montes ſuos dividatur, libro V, 6, 2. Denique allegatur Eratoſthenes libro V, 3, 1. 5. de commutatione Parapamiſi montis cum Caucaſo. (Haec depromta videntur ex Geographumenis, libro Erat. vide Fabric. l. l.) Hoc vero ſolo loco aliud quid excerpſit ex eodem ſcriptore. Scripſerat enim Erat.: ſi quid (ſc. ab Alexandro geſtum) a Macedonibus ad deum aliquem relatum ſit auctorem, hoc factum eſſe in gratiam Alexandri; (nempe ut vel res bene geſtas immenſe laudarent, vel male geſtas excuſarent.) Exempla ab Eratoſthene prolata ſequuntur, nempe quae narraverint Macedones de Herculis et Bacchi expeditionibus, ut Alexandrum longius quam utrumque progreſſum eſſe arguerent. Addit vero Arrianus, ſe Erat. Cyrenaeo in his non prorſus aſſentiri; (cur? non adjecit) ſibi vero talia in medio eſſe relinquenda et per ſe cuivis integrum eſſe, utrum his aut fidem tribuere aut derogare velit. Et ſi Plutarchum, qui in libris laudatis ter Eratoſthenem auctorem prodit, evolvimus, merito ei in aliis rebus praeter geographicas fidem negatam eſſe divinamus. In vita Alex. cap. 3. legitur: Olympias, ut ait Eratoſthenes, Alexandrum ad expeditionem dimittens, ipſique ſoli *τὸ περὶ τὴν τέκνωσιν ἀπόρρητον* enarrans (Alexandrum nempe fuiſſe filium Iovis Ammonis) ju-

ΑΡΡΙΑΝΟΥ

ΑΝΑΒΑΣΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ

ΒΙΒΛΙΟΝ ΠΡΩΤΟΝ.

TO, [illegible]

[illegible]

[illegible]

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

Πτολεμαῖος ὁ Λάγου, καὶ Ἀριστόβουλος ὁ Ἀριστοβού- 1
λου, ὅσα μὲν ταυτὰ ἄμφω περὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ
Φιλίππου ξυνέγραψαν, ταῦτα ἐγὼ ὡς πάντη ἀληθῆ
ἀναγράφω· ὅσα δὲ οὐ ταυτὰ, τούτων τὰ πιστότερα ἐμοὶ
φαινόμενα καὶ ἅμα ἀξιαφηγητότερα ἐπιλεξάμενος.
Ἄλλοι μὲν δὴ ἄλλα ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου ἀνέγραψαν, οὐδ' 2
ἔστιν ὑπὲρ ὅτου πλείονες, ἢ ἀξυμφωνότεροι ἐς ἀλλήλους·
ἀλλ' ἐμοὶ Πτολεμαῖός τε καὶ Ἀριστόβουλος πιστότεροι ἔδο- 3
ξαν ἐς τὴν ἀφήγησιν· ὁ μὲν, ὅτι συνεστράτευσε βασιλεῖ
Ἀλεξάνδρῳ, Ἀριστόβουλος, Πτολεμαῖος δὲ, πρὸς τῷ ξυ-
στρατεῦσαι, ὅτι καὶ αὐτῷ βασιλεῖ ὄντι αἰσχρότερον ἢ τῷ
ἄλλῳ ψεύσασθαι ἦν· ἄμφω δὲ, ὅτι τετελευτηκότος ἤδη
Ἀλεξάνδρου ξυγγράφουσιν αὐτοῖς ἥτε ἀνάγκη καὶ ὁ
μισθὸς τοῦ ἄλλως τι, ἢ ὡς συνηνέχθη, ξυγγράψαι ἀπῆν.

NOTAE CRITICAE.

PROOEMIVM.

3. ξυγγράφουσιν αὐτοῖς, vulgo ξυγγράφουσιν, ὅτι αὐτοῖς etc. Sed praesens hoc, quatuor praeteritis interjectum suo loco non esse, ex constructione totius periodi facile apparet. Unde, ejecta conjunctione ὅτι, quae librario debetur, locum ex conjectura mea emendavi et verto: *quum scribentibus iis* etc.

ANIMADVERSIONES.

PROOEMIVM.

Arg. Differit de scriptoribus, quos et quomodo eos sequutus sit, et cur historiam scripserit. — Aristobulus historiam Alexandri scripsit 84 annos natus, Ptolemaeus, quum esset rex Aegypti. Reliqui fontes, quibus interdum usus est Arrianus, sunt Eratosthenes Cyrenaeus, Nearchus, Megasthenes, Onesicritus, Aristus, Asclepiades, Alexandri M. epistolae, et ephemerides regiae.

4 Ἔστιν ἃ καὶ πρὸς ἄλλων ξυγγεγραμμένα, ὅτι καὶ αὐτὰ ἀξιαφήγητά τέ μοι ἔδοξε, καὶ οὐ πάντη ἄπιστα, ὡς
5 λεγόμενα μόνον ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου, ἀνέγραψα. Ὅστις δὲ θαυμάσεται, ἀνθ' ὅτου ἐπὶ τοσούτοις συγγραφεῦσι, καὶ ἐμοὶ ἐπὶ νοῦν ἦλθεν ἥδε ἡ ξυγγραφή, τά τε ἐκείνων πάντα τις ἀναλεξάμενος, καὶ τοῖσδε τοῖς ἡμετέροις ἐντυχών, οὕτω θαυμαζέτω.

ΒΙΒΛΙΟΝ ΠΡΩΤΟΝ.

1 I. Λέγεται δὴ Φίλιππον τελευτῆσαι ἐπὶ ἄρχοντος Πυθοδήμου Ἀθήνησι· παραλαβόντα δὲ τὴν βασιλείαν Ἀλέξανδρον, παῖδα ὄντα Φιλίππου, ἐς Πελοπόννησον παρελθεῖν· εἶναι δὲ τότε ἀμφὶ τὰ εἴκοσιν ἔτη Ἀλέξανδρον·
2 ἐνταῦθα ξυναγαγόντα τοὺς Ἕλληνας, ὅσοι ἐντὸς Πελοποννήσου ἦσαν, αἰτεῖν παρ' αὐτῶν τὴν ἡγεμονίαν τῆς ἐπὶ τοὺς Πέρσας στρατείας, ἥντινα Φιλίππῳ ἤδη ἐδίδοσαν·

4. ἔστιν ἃ καὶ ex Codice Optimo. Vulgo ἔτι δὲ ἃ καὶ πρὸς. ἔδοξε ex Cod. Optimo. Vulgo ἔδοξαν.
5. ἐπὶ τοσούτοις ex eodem. Vulgo ἐπὶ τοσοῖσδε. Τοσόσδε est Arriano *tantus* (V, 19, 10.) τοσοῦτος *tam multus*. (I, 12, 6. VII, 1, 9. 18, 9. et aliis locis multis.)
οὕτω θαυμ. St. Croix in *Examen* etc. pag. 26. not. 2. conjicit οὔτε. Male. Vide Raphelium ad hunc locum.

LIB. I. CAP. I.

1. Φίλιππον μὲν. Alteram vocem propter C. Opt. abjeci.
2. στρατείας ex conjectura mea. Vulgo στρατιᾶς. Sed vide Morum ad Panegyricum Isocratis c. 38.
ἐδίδοσαν ex Opt. Vulgo ἔδοσαν.

4. ὡς λεγόμενα μόνον] quasi in sermonibus tantum divulgata fuerint, veri autem nihil habuerint. *Raph.*

οὕτω θαυμαζέτω] *tunc demum miretur*. Particula οὕτω similiter utitur infra VII, 30, 1, et Xenophon, Mem. Socr. IV. extremo. *Raph.*

LIB. I. CAP. I.

Arg. Tempus mortis Philippi et successionis Alexandri. Alexander in Graeciam ingreditur, dux Graeciae adversus Persas creatur ab omnibus praeter Lacedaemonios. Irrumpit in Thraciam, Thracesque transitum ad Triballos prohibentes vincit.

καὶ αἰτήσαντα λαβεῖν παρ᾽ ἑκάστων, πλὴν Λακεδαιμο-
νίων· Λακεδαιμονίους δὲ ἀποκρίνασθαι, μὴ εἶναι σφίσι 3
πάτριον, ἀκολουθεῖν ἄλλοις, ἀλλ᾽ αὐτοὺς ἄλλων ἐξηγεῖ-
σθαι. Νεωτερίσαι δὲ ἄττα καὶ τῶν Ἀθηναίων τὴν πόλιν· 4
ἀλλὰ Ἀθηναίους γε, τῇ πρώτῃ ἐφόδῳ τοῦ Ἀλεξάνδρου
ἐκπλαγέντας, καὶ πλείονα ἔτι τῶν Φιλίππῳ δοθέντων
Ἀλεξάνδρῳ εἰς τιμὴν ξυγχωρῆσαι. Ἐπανελθόντα δὲ 5
ἐς Μακεδονίαν, ἐν παρασκευῇ εἶναι τοῦ ἐς τὴν Ἀσίαν στό-
λου· ἅμα δὲ τῷ ἦρι ἐλαύνειν ἐπὶ Θρᾴκης, ἐς Τριβαλλοὺς
καὶ Ἰλλυριοὺς, ὅτι νεωτερίζειν ἐπύθετο Ἰλλυριούς τε καὶ
Τριβαλλοὺς, καὶ ἅμα ὁμόρους ὄντας οὐκ ἐδόκει ὑπολεί-
πεσθαι, ὅτι μὴ πάντῃ ταπεινωθέντας, [οὕτω] μακρὰν
ἀπὸ τῆς οἰκείας στελλόμενον. Ὁρμηθέντα δὴ ἐξ Ἀμφι- 6
πόλεως ἐμβαλεῖν ἐς Θρᾴκην, τὴν τῶν αὐτονόμων καλου-
μένων Θρᾳκῶν, Φιλίππους πόλιν ἐν ἀριστερᾷ ἔχοντα, καὶ
τὸν Ὄρβηλον τὸ ὄρος. Διαβὰς δὲ τὸν Νέσον ποταμὸν, 7
λέγουσιν ὅτι δεκαταῖος ἀφίκετο ἐπὶ τὸ ὄρος τὸν Αἷμον.
Καὶ ἐνταῦθα ἀπήντων αὐτῷ κατὰ τὰ στενὰ τῆς ἀνόδου τῆς 8
ἐπὶ τὸ ὄρος, τῶν τε ἐμπόρων πολλοὶ ὡπλισμένοι, καὶ οἱ

4. τοῦ Ἀλεξάνδρου ex Cod. Opt. Vulgo τῷ Ἀλεξ.
5. ὅτι τε νεωτερίζειν. Copulam, Opt. duce, abjeci. Mox οὕτω, quod uncis inclusi, in Optimo non legitur.
8. τῶν τε ἐμπόρων πολλοί. Gronovius conjicit ἐμπείρων (quod in Lemgoviana receptum est) vel ἐγχωρίων vel ἐγχώρων. Clericus: τῶν τε ἐπ᾽ ὀρῶν. Alia multa habet Petr. Horreus in observatt. criticis p. 533. seqq. Mihi placebat ἐκ τῶν ὀρῶν sc. βαρβάρων (ut I, 17, 1.) Sed nunc h. l. conjecturis uti nolo, vulgatam recepi.

